INTERPUNCTIO IN LIBRIS MSS. ET EDITIS VITIOSA.

Saepe fit ut in libris Mss. interpunctio scribarum arbitratu constituta cum scriptoris sententia manifesto pugnet, et nonnullis locis factum est ut veteres illi scribarum errores nondum deprehensi et sublati sint. Huius rei duo exempla adscribam e Demosthene. Dindorfius edidit p. 76, 21: *οὐκ ἔστιν ὅπως αἱ αἰτίαι, ἃς Φίλιππος αἰτιᾶται, τοὺς ὑπὲρ τῶν δικαίων πρὸς ὑμᾶς λέγοντας κωλύσουσι συμβούλους ἡμᾶς γίγνεσθαι ὑπὲρ τῶν ὑμῖν συμφερόντων*: ea interpunctio prorsus sententiam verborum turbat et corrumpit: *τοὺς λέγοντας* pendet ab *αἰτιᾶται*, non a *κωλύσουσι*, quamobrem post *λέγοντας*, non post *αἰτιᾶται*, est incidendum. Si illud voluisset Orator dicere verba sic composuisset: *τοὺς ὑπὲρ τῶν δικαίων — λέγοντας ἡμᾶς κωλύσουσι συμβούλους γίγνεσθαι*. In eadem oratione pag. 78, 1. negligenter admodum editur: *ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐκεῖνό γε λανθάνει αὐτὸν ὅτι δι' ἀμφοτέρων τῶν ὀνομάτων ὁποτέρῳ ἂν χρῆσθε ὑμεῖς, ἕξετε τὴν νῆσον ἄν τε λάβητε ἄν τ' ἀπολάβητε*, imo vero: *ὁποτέρῳ ἂν χρῆσθε, ὑ μ ε ῖ ς ἕξετε τὴν νῆσον*. In his est vis et acrimonia *ὑ μ ε ῖ ς ἕξετε*, (*οὐκ ἐκεῖνος*). Iuvat pauca addere e lepidissimo Aristophane. In Equitibus vs. 12. Bergkius edidit:

NIK. *τίς οὖν γένοιτ' ἄν; λέγε σύ*. ΔΗΜ. *σὺ μὲν οὖν μοι λέγε.*

tu haec ita divide:

N. *τίς οὖν γένοιτ' ἄν*; Δ. *λέγε σύ*. N. *σὺ μὲν οὖν μοι λέγε.*

Turpe vitium est in Avibus vs. 703:

ὧδε μέν ἐσμεν
πολὺ πρεσβύτατοι πάντων μακάρων. ἡμεῖς δ' ὡς ἐσμὲν Ἔρωτος
πολλοῖς δῆλον.

nihil certius est quam sic esse emendandum: *πολὺ πρεσβύτατοι πάντων μακάρων ἡ μ ε ῖ ς*. Tum: *ὡς δ' ἐσμὲν Ἔρωτος πολλοῖς δῆλον*, quam emendationem olim occupavit Dobraeus, sed Dobraei complures certissimas correctiones Editores Aristophanis nescio quomodo ignorare videntur.

C. G. C.